



Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Subsidia

Bellecius, Aloysius

Ratisbonæ [u.a.], 1755

§. III. Documenta eidem sperato cum fructu vacandi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55547](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55547)

tus. Itaque *vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* (x) Notam fac mihi voluntatem tuam, *ut sciam, quid desit mihi;* (y) quodque dederis velle, da & perficere.

§. III.

Documenta ejusmodi collectionem sperato cum fructu transigendi.

POSTquam generosum firmumque decretum concepimus, solitariae pietati dies aliquot consecrandi, quos corrigendis moribus sedulo impendamus; omnesque eo tempore animi vires intendendi, ut divinae gratiae pro virili respondeamus, duo declaranda supersunt, 1. quando, 2. quomodo ejusmodi spiritus collectio sit instituenda.

I. Ad tempus quod attinet huic negotio dedicandum, illius cumprimis ^{I. Quando sit instituenda?} ratio habenda erit, quo nos singulariter impelli, & ad sacram ejusmodi

Pars II.

Y

foli-

(x) Psal. 24. v. 4. (y) Psal. 38. v. 5.

solitudinem divinitus instigari senserimus, nobisque illa sacrae Paginae verba intus inclamari perceperimus: *surge columba mea, & veni ad foramina petrae, ad cavernam maceriae: (a) veni seorsum ad desertum locum, & requiesce pusillum. (b) Tunc enim sine mora invitanti DEO eadem, qua Samuel, promptitudine respondendum erit: ecce ego! quia vocasti me: (c) deduc me in via aeterna: (d) sequar te, quocunque ieris. (e)*

Indicium enim minimè dubium id est, Supremum Numen per tales instinctus piamque eremum singulare quid intendere, & magnas in ea gratias præter ordinem nobis destinare, quas negligere plena periculi alea sit. Huic divino impulsui annumerari etiam potest vox Superioris, ejusmodi secessum vel communi regula vel peculiari præcepto imperantis: nec non conscientiae Arbitri eundem speciatim suadentis.

2. Aptis-

(a) Cant. 2. v. 14.
(c) 1. Reg. 3. v. 9.
(e) Matth. 8. v. 19.

(b) Marc. 6. v. 31.
(d) Psal. 138. v. 21.

2. Aptissimum quoque eidem vacandi tempus erit illud, quo vel aliud vitæ genus auspicamur, vel de eodem eligendo deliberamus, vel graviori nos muneri accingimus, aut dubii hæremus, quid in certis quibusdam altioris momenti negotiis sit concludendum. Si enim unquam aliàs, profectò tunc indigemus consilio & æquitate, prudentia & fortitudine.

Ubi autem hæc certiùs inveniemus, quàm extra mundi tumultum apud eum, qui de seipso dicit: *meum est consilium & æquitas, mea est prudentia & fortitudo.* (f) Ab hoc enim nobis in sacra solitudine communicabitur *consilium & prudentia* pro decernendis rebus: *æquitas & fortitudo* pro iisdem exequendis. Ad illum ergo tunc locum nos prompti conferamus, ubi *Sapientia habitat in consilio:* (g) & ubi *induemur virtute ex alto.* (h)

3. Quando nos major aliqua adversitas premit, aut vexatio urget, vel

Y 2

vel

(f) Prov. 8. v. 14.

(g) Prov. 8. v. 12.

(h) Luc. 24. v. 49.

vel calamitas cruciat, aut necessitas angit; tunc laudata hæc occupatio vel maximè locum habet. Nam in religioso ejusmodi deserto reperitur apta his plagis panacea, quæ in foro apud amicos, inter dissipationes, per querimonias minimè reperitur. Id se expertum esse, ipse regius Vates fatetur his verbis: *contristatus sum in exercitatione mea: (en! siccitatem mentis) & conturbatus à voce inimici, & à tribulatione peccatoris: (en! persequentis malitiam hostis) timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebra. (en! angustias cordis) Quis magnas has fuisse miseras neget?*

Verùm tot malis quid remedii adhibuit sanctus Rex? Id ipse mox declarat, sic fari pergens: *& dixi: quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo, & requiescam. Ecce! elongavi fugiens, & mansi in solitudine. (i) En! ad solitudinem confugit, in eam se abdidit, hæc illi in hac tempestate pharos, portus, & anchora fuit. Hic*
inve-

(i) Psal. 54. v. 2. & seq.

invenit turbis quietem, angoribus levamen, curis solatium, tenebris lucem, cunctis denique animi morbis medelam & opem. Iisdem ergo effectibus beari qui cupit, eodem utatur adjumento, oportet.

4. Denique quando gelidus tepor lethali frigore mentem glaciatur: quando anima, extra seipsam effusa, per res creatas dissipata, proprii cordis exilium patitur: quando confessio languet, synaxis tepet, oratio friget, & coelestium nausea vitæ spiritualis tædium generat: quando turpibus ideis phantasia, vanis cogitationibus intellectus, pravis motionibus voluntas, totus homo periculosis tentationibus infestatur; tunc enimvero ah! tunc tempus est, & quidem urgentissimum tempus est, per sacrum ejusmodi secessum huic malorum torrenti aptum obicem ponendi. Tunc certè omni in mora periculum, in quavis ditione timendum exitium est. Tunc *si vocem Domini audieritis*, per salutem vos vestram obtestor, nolite, ah!

nolite obdurare corda vestra. (l) Secus, etiam vos aliquando audire cogemini triste illud : *vocavi, & renuistis : ego quoque in interitu vestro ridebo.* (m) Hoc igitur fulmine ne feriamur, confugiamus sub umbram alarum illius *aquila magna, volantis in desertum.* (n) Hæc de tempore, quo in sacram ejusmodi eremum nobis concedendum sit, dicta sufficiant.

II.
*Quomodo
sit transi-
genda.*

II. Quomodo autem talis animi collectio transigenda sit, ut optatum exinde fructum decerpamus, sequentia documenta docebunt. I. Abstineatur ab omnibus aliis occupationibus, quantum fieri poterit; ita ut nil scribatur, legatur, nec aliud quid fiat, quod non conducat ad finem hujus sacri secessûs.

2. Actiones quotidianæ peragantur majori cum accuratone & mentis fervore secundum eam, quam quisque sibi delegit, methodum.

3. Soli-

(l) Pſal. 49. v. 8. (m) Prov. I. v. 24. & 26.
(n) Apoc. 12. v. 14.

3. Sollicitè servetur solitudo externa per silentium & custodiam fenestrum; nec non interna per attentionem animi collectionem, & ferventiores aspirationes ad DEUM.

4. Proposita scriptò annotentur, eaque non sint vaga, sed singularia, determinatis adjunctis loci, temporis aliisque remediis.

5. Augeantur consuetæ corporis castigationes. Materia verò examinis peculiaris tali triduo fit exacta observatio functionum præscriptarum, ordinis diurni & silentii.

6. Confessio semestralis peragenda est non solum ex consuetudine, & quia sic moris est; sed eo spiritu, quo S. P. N. eam peragi vult; eoque fructu, quem is per eam intendit, qui triplex est. Inprimis ut, consideratis quasi in cumulo peccatis nostris, dispiciamus, an hucusque in virtute defecerimus, vel profecerimus? Dein ut intensiorem inde dolorem concipia-

piamus, ac peccati horrorem augeamus. Denique ut inde veniamus in notitiam affectionis animo dominantis, uti & illius vitii, quod fons est reliquorum defectuum.

7. Hanc spiritus renovationem auspiciemur cum firma persuasione, nos illa, non obstantibus sacris octo dierum exercitiis brevi abhinc tempore vel peractis, vel denuo peragendis, summopere indigere: item cum animo liberali & parato ad omnia agenda, quaecunque DEUM à nobis velle intellexerimus: Supremo Numini nihil negando, nil excipiendo; sed omne cor nostrum totum, quantum est, eidem sine ulla divisione aut partitione offerendo.

8. Relegi etiam poterunt proposita tum in exercitiis, tum in aliis collectionibus facta, examinando, num ea fuerint effectui data? quid DEUS à nobis fieri, quid vitari per frequentiores instinctus singulariter cupiat? quid potissimum profectui in spiritu obstat?

obstet? Has observationes magna cum accuratione executioni mandasse, colligendo inde fructui maximo adjumento erit.

Cæterum pro gemino ejusmodi triduo præfens tractatus abundantem materiam suppeditat; ut ex præmissis hunc in finem duplici indice patet. Cui verò non vacat tres omnino dies tam salubri negotio impendere, is saltem unum eidem consecret; vel si etiam hoc alicui nimium videatur, is saltem singulis mensibus unam vel alteram horulam tanti momenti & quæstus occupationi tribuere ne gravetur. Puncta tum pro meditatione & lectione, tum pro consideratione & examine statûs ex hac ipsa lucubratione secundum memorati elenchi ordinem seligere poterit.

Postquam igitur intelleximus tempus & modum, *quando & quomodo* spiritali huic secessui vacandum sit, id unum superest, ut ejus *necessitate & utilitate* permoti, eidem etiam vacemus,

mus, memores effati S. Bernardi (o) ejusmodi facram solitudinem sequentibus verbis extollentis; *hac enim, inquit, mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat. Hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens.* Et huic tam pio tamque necessario, ac utili negotio aliquot vitæ momenta locare nobis tam difficile accidat? nobis, inquam, qui tot horas & dies vanis occupationibus, inanibus fabulis, somno, lusu & otio prodigè perdimus.

Præcipuè postquam Optimus Maximus Pontifex Benedictus XIV. nuper plenam pœnarum veniam summa potestate & clementia non solum per decem vel quinque dies exercitiis S. Ignatii vacaturis, sed etiam per integrum solummodo diem exercitio, quod dicitur, præparationis ad mortem

(o) Lib. I. de confid.

tem se impensuris, liberalissimè concessit per speciale decretum, in forma Brevis Anno Salutis 1753. editum. Certè insignis hæc, quam Sanctissimus æquè ac Doctissimus hic Pontifex de emolumentis hujus sacræ exercitationis mente fovet, opinio hætenus dictis ingens pondus addit; cùm luculenter demonstrat, illam acquirendæ virtutis solidæ excellens prorsus adjumentum esse.



CON-

CONCLUSIO
SECUNDÆ PARTIS,

*Ubi ostenditur, eandem via illuminativa
respondere.*

Cùm primam hujus operis partem viæ purgativæ (ùt vocant) permeandæ impenderimus, promovendus secunda ejus parte fuerat gradus ad eam, quam Ascetæ illuminativam appellant, quæ ideo hoc nomine ab aliis distinguitur; quia anima per eam gradiendo omnigenis virtutum radiis illuminatur. Sicut enim in *purgativa* à peccato tanquam *termino à quo* (quæ scholastica phrasis est) fugitivi recedimus; sic in *illuminativa* per varios pietatis actus tanquam *terminum per quem* tamdiu progredimur; donec tandem per viam *unitivam* ad DEUM veluti *terminum ad quem* perveniamus, eidem perfecta charitate uniendi.

Cæterùm sicuti primæ viæ scopus est animæ purgatio, suiipsius cognitione,

tionem, peccatorum detestationem, & cupiditatum castigationem acquirenda; ita quoque finis secundæ hujus semitæ est virtutum solidarum præcipuè moralium felix possessio, sequentibus subsidiis obtinenda, nempe 1. convenienti earum notitia ac sublimi æstimatione, 2. crebra earundem & fervida postulatione, 3. assidua illarum per actus tum internos tum externos exercitatione.

Jam verò per attentam & ardentem quotidie meditationem & sacrum subin secessum, quæ duo capite 2. & 6. inculcavimus, digna de illis ideâ cum primis imbuimur. Per fervorem in frequentanda Synaxi, ad quem capite 4. incitabamur, necessarias hunc in finem gratias exoramus. Denique accuratio in perficiendis operibus quotidianis, præcipuè si mentis collectio & usus examinis particularis (quæ capitulis 1. 3. & 5. materia erant) fororiam junxerint operam, ad earundem exercitium ingens conferent adjumentum. Ut proin etiam altera hæc

Pars

Pars *Via Illuminativa* quàm optimè respondeat; utpote quæ Lectori præcipua suppeditat remedia, genuinam probitatem rite æstimandi, ardentè postulandi, & assiduè exercendi. Sic-que demum eam in gradu etiam perfectò acquirendi, qui ultimus hujus semitæ scopus est.

Quicumque ergo allatis sex ADJUMENTIS constanter usus fuerit, is per congruentem viæ illuminativæ conatum brevi tempore aptum se reddet, ad intimam conjunctionem cum DEO per solidam virtutem obtinendam, cujus perficiendæ INCITAMENTA viæ unitivæ convenientia, Partis tertiæ argumentum erunt.

FINIS

SECUNDÆ PARTIS.

